

caturum siccatas plantas et seminum partem, quae ad me mittet. Nuper etiam, cum Massilia scribens peteret venias mittendi collectanea sua prouti occasiones forent et nationis alicujus naves praesto erunt peregrinatoribus nostris, aut in Galliam ad Lanvagesium, aut in Angliam, aut in Hollandiam, sine mora impetravit. Scribere ad Te ipsi licet, quando volet et poterit, accipiesque sana et illaesa quae in manus meas pervenient.

Si Tibi, Vir Illustris, animus persistit benevolus erga me et mihi conditum novum hortum, grato animo a me accipientem semina, quorum spem facis, neque solum lubenter Tibi faciam copiam eorum, quae forte etiam nunc in incunabilis grata Tibi alit hortus noster, sed etiam, cum par pari reddendo primis his annis sine dubio erimus impares, paratus sum ad persolvendum pretium eorum quae imparties, idque ut liceat rogo.

Fervet adhuc apud nos aestas, et remotior adhuc videtur autumnus, quo ingruente, quando census plantarum copiae meae praesentis perfecero, ad Te transmittam libellum de quo nuper scripsi, cum adjectis figuris.

Exspecto ante hyemem, ex voto Dⁱ Miller, bonas copias seminum et bulborum horti Chelseani, tum etiam ex Gallia et ex Hollandia et Germaniae locis compluribus, tum etiam ab Ill. Hallero, qui mihi nuperrime scripsit novam se parare Enumerationis meae editionem, eique scopo varias ipsum alpes perquisivisse, in alias, nominatim rhaeticas, propriis sumtibus idoneos juvenes misisse, postremis his annis. Est nunc inspector Salinarum Bernensis reipublicae et in valle quadam alpina degit. Exspecto propediem Floram Ingricam Dⁱ Gorter, quam in Norvegia penes amicum meum aliquem pro me deposuit, cum ibi appelleret cum nave, in qua patrias suas petebat cum tota familia, relicta Petropoli et cuncta sparta. Vale et mihi fave omni studio dum merituro benevolentias Tuas.

Hafniae, d. 9 Sept. 1761.